Jahresbericht

über den

Schulcursus 1865—1866

an dem

Königlichen Gymnasium

zu

COBLENZ.

Von dem Director des Gymnasiums

Alexander Dominicus.

Inhalt: a) Q. Ennius poeta versu hexametro in litteras Latinas inducto quatenus meritus sit. Scripsit Dr. Gustavus Ungermann.
b) Schulnachrichten, zusammengestellt von dem Director.

Coblenz, 1866.

Buchdruckerei von Johann Buet.

Die Behörden, Gönner und Freunde des Gymnasiums, die Aeltern und Angehörigen der Schüler werden zu den öffentlichen Prüfungen und zu der Schlussfeier ergebenst eingeladen.

Coblenz, 18. August 1866.

Dominicus, Director.

Q. ENNIUS POETA

versu hexametro in litteras Latinas inducto

quatenus meritus sit.

Scripsit

D^R. GUSTAVUS UNGERMANN.

Q. Ennius poeta versu hexametro in litteras Latinas inducto quatenus meritus sit.

Ut bello Punico secundo finito poesis Romana, quippe quae antea ne minima quidem esset auctoritate [1]), ad honorem dignitatemque adduceretur effecisse Q. Ennii poetae propria laus est. Qui vir, alta quadam mente praeditus, litteris artibusque politus, trium linguarum cognitione ornatus [2]), rem eo perduxit, ut poetae Romanis „natura ipsa valere et mentis viribus excitari et quasi divino quodem spiritu inflari" viderentur [3]). Nec parvi momenti ad poesim Latinam excitandam tollendamque fuit quod Ennius in multorum nobilium familiaritate versabatur. Unde fieri non potuit quin poetae animus maiore studio et incitamento impelleretur. Tum demum magna spes in poesi poetisque poni poterat. Artium enim ac disciplinarum progressus, id quod cuiusvis populi litterae docent, imprimis eo continentur ut illae apud cives eosque nobilissimos valeant. Atque primum Ennius consuetudine implicitum habebat Catonem, qui quin poetae, cum Romam eum ascivisset [4]), faverit dubium non est. Namque Ennium tum demum cum ad Scipionem caeterorumque nobilium caussam sese adiunxerat atque, quorsum illius aetatis litterarum Latinarum motus casuri essent praesagiens suoque animo inductus, personam τῶν ἑλληνιστῶν qui dicuntur gerere coeperat, qua erat apud Catonem, acerrimum illi studio adversarium, gratia excidisse existimandum est. Huc spectant Ciceronis [5]) verba: „Honorem tamen huic generi (i. e. poesi) non fuisse declarat oratio Catonis, in qua obiecit ut probrum M. Nobiliori, quod is in provinciam poetas duxisset. Duxerat autem consul ille in Aetoliam, ut scimus, Ennium." Quibus verbis et M. Nobilioris et Q. Ennii laesio inest. Quod vero Cato P. Cornelio Scipioni non idem quod M. Fulvio Nobiliori probrum obiecit, ut novum argumentum accedit, quo corruit illa sententia, qua Ennius Scipionem et in Hispaniam et in Afri-

1) Gell. XI, 2: „poeticae artis honos non erat; si quis in ea re studebat aut sese ad convivia applicabat, grassator vocabatur."

2) Gell. XVII, 17: „Ennius tria corda habere sese dicebat, quod loqui Graece et Osce et Latine sciret.

3) Cic. pro Arch. 8.

4) Nep. Cat. c. I: „Praetor (Cato) provinciam obtinuit Sardiniam, ex qua, quaestor superiore tempore ex Africa decedens, Q. Ennium poetam deduxerat; quod non minoris aestimamus quam quemlibet amplissimum Sardiniensem triumphum."

5) Tuscul. I, 2.

cam illius „lateri haerens“ comitatus esse atque „Martia lauro“ ornatus Scipionis triumpho interfuisse fingitur[1]). Imo vero quod de M. Fulvio Nobiliore constat posteriore aetate ad Scipionem translatum esse videtur. Praeterea ex verbis Ciceronianis Ennium Catone praetore Sardiniensi familiariter usum non esse intellegimus, nedum hic ab illo litteris Graecis institueretur, id quod falso affert Aurelius Victor[2]). Quid enim? Num Catonem M. Nobiliori crimini versurum fuisse putas, quod in ipsum novem annis ante valuisset[3]). Sin Cicero (Cat. mai. c. 5) Catonem in Ennii mortui commemoratione honorifice amiceque facit versantem, ille, quas simultates Cato cum Ennio poeta habuisset, non satis diligenter perpendisse videtur[4]). Praeter Catonem autem, ad quoddam quidem tempus Ennio faventem, P. Cornelium Scipionem, Hannibalis perditorem celeberrimum[5]), M. Fulvium Nobiliorem[6]), quorum virorum iam supra mentionem fecimus, accedunt ut Ennii fautores familiaresque P. Scipio Nasica, cognomine „Corculum“[7]); T. Quintius Flamininus, victoria apud Cynoscephalas de Macedonibus reportata illustris; Q. Fulvius Nobilior, Marci filius, a quo Ennius anno aetatis quinquagesimo quinto civitate donatus est[8]); denique duo insignes plebeii, L. Caecilius Denter et M. Caecilius Denter[9]), quorum alter (a. U. 572) praetor in Sicilia fuit[10]), alter unus ex illis quinque legatis, qui (a. 581) ad Perseum et Ptolemaeum reges missi sunt[11]).

---

1) Claudian. De sec. consul. Stilich. Praef. V. 7 sqq.

2) De viris illustr. n. 47: „Quaestor sub Scipione fortissimus, praetor iustissimus fuit; in praetura Sardiniam subegit, ubi ab Ennio Graecis litteris institutus.“

3) Cfs. Ritter. Zeitschr. f. Alterthsw. a. 1840, p. 372.

4) l. a. p. 381.

5) Ennium Scipionibus fuisse carissimum inde conici potest quod poetae in sepulcro Scipionum statua posita esse putabatur. Cfs. Cic. pr. Arch. 9: „Carus fuit Africano superiori noster Ennius; itaque in sepulcro Scipionum putatur is esse constitutus e marmore. Liv. XXXVIII, 56: „Et Romae extra portam Capenam in Scipionum monumento tres statuae sunt, quarum duae P. et L. Scipionum dicuntur esse, tertia poetae Q. Ennii.“ Plin. VII, 31: „Prior Africanus Q. Ennii statuam sepulcro suo imponi iussit, clarumque illud nomen, immo vero spolium ex tertia orbis parte raptum in cinere supremo cum poetae titulo legi.“ Quod contra legimus apud Eusebium n. 1840: „Ennius poeta septuagenario maior articulari morbo periit, sepultus in Scipionis monumento, via Appia, intra primum ab Urbe milliarium. Quidam ossa eius Rudiam ex Ianiculo translata affirmant.“ Hieronymum autem (ap. Euseb.) Ennium in Scipionum monumento sepultum esse commemorantem errasse Ciceronis, Livii, Plinii testimonii ratione habita tibi persuasum habeas. Cfs. Bernh. Röm. Litt. II, p. 409.

6) Hunc poeta in Aetoliam comitatus poesis sensu studioque imbuit. Cfs. Cic. pr. Arch. 11: „Iam vero ille, qui cum Aetolis Ennio comite bellavit, Fulvius non dubitavit Martis manubias Musis consecrare.“

7) De Scipione Nasica et Ennio Cicero (De orat. II, 68, 276) haec lepide narrat: „Qui (Nasica) cum ad poetam Ennium venisset, eique ab Ostio quaerenti Ennium ancilla dixisset domi non esse, Nasica sensit illam domini iussu dixisse et illum intus esse. Paucis post diebus cum ad Nasicam venisset Ennius, et cum a ianua quaereret, exclamat Nasica se domi non esse.“ Tum Ennius „quid? ego non cognosco vocem, inquit, tuam?“ Hic Nasica: „Homo es impudens; ego, cum te quaererem, ancillae tuae credidi te domi non esse, tu mihi non credis ipsi?“ Quibus verbis minime, ut Ritterus (l. a. p. 378) vult, Scipio Nasica Ennium aspere tractare solitus esse significatur.

8) Cic. Brut. c. 20: „Q. nobiliorem, M. F., iam patrio instituto deditum studio litterarum, qui etiam Q. Ennium, qui cum patre eius in Aetolia militaverit, civitate donavit, cum triumvir coloniam deduxisset.“

9) Plin. N. H. VII, 27: „Q. Ennius L. Caecilium Dentrem fratremque eius praecipue miratus propter eos sextum decimum Annalem adiecit.“ Ex quibus verbis Ennium cum L. Caecilio Dentre eiusque fratre amicitia iunctum esse satis probabiter conicere possumus.

10) Liv. XXXIX, 56; XL, 1.

11) Liv. XLII, 6.

Quod attinet ad Ennii studium poeticum, poeta comicus fere nullo fuit numero ac brevi desiit cum Plauto certare. Trium tantum comoediarum indices leviaque fragmenta restant, dico „Ambraciam, Cupunculam, Pancratiastas.“ Longe autem aliter iudicandum est de tragoediis, in quo poesis genere Ennius plurimum potuit. Atque maxime sese applicavit ad Euripidem, cuius vestigia poetam Romanum in „Medea, Hecuba, Iphigenia“ secutum esse constat. Ex quibus fabulis Medeam Cicerone teste[1]) ad verbum expressit. Quidquid vero de singulis tragoediis, quarum numerus est legio, quidquid de saturis[2]) Ennianis, de Scipione qui inscribitur, quod poema utrum ad epicum genus an ad scaenicum referendum sit incertum est, de Ennii Sota, a Sotade dicta, poeta Graeco, „apud veteres acerrimis salibus et iacta in omnem aequalium pravitatem cavillatione qua ne reges quidem excipiebat insigni“ [3]); quidquid de Praeceptis Protrepticove[4]), de Hedypathia[5]), — hac inscriptione Bernhardyum secutus sum — cuius libri Ichthyologiae fragmentum etiamnunc exstat, quidquid de Epicharmo[6]) et Euhemero[7]) elici potest, cum ab aliis viris doctis tum a Ribeckio et Vahleno elicitum est.

Veruntamen quantoquanto successu Ennius in arte scaenica elaboravit, non tam scaenica poesi quam epica nomen suum ad immortalitatis memoriam consecravit. Annalibus enim suis, quod epos populi Romani vere proprium factum est, Ennius, id quod enixe expetierat, ut alter Homerus existimaretur assecutus est[8]). Quo poemate res illa aetate praeclarissime gestas celebravit illosque magnos viros, quorum gratiam benevolentiamque tenebat, summis laudibus exornavit.

---

1) De fin. I, 2, 4: „iis igitur est difficilius satis facere, qui se Latina scripta dicunt contemnere. In quibus hoc primum est, in quo admirer, cur in gravissimis rebus non delectet eos patrius sermo, cum iidem fabellas Latinas ad verbum e Graecis expressas non inviti legant. Quis enim tam inimicus paene nomini Romano est, qui Ennii Medeam aut Antiopam Pacuvii spernat aut reiciat, quod se eisdem Euripidis fabulis delectari dicat.“

2) Qualis saturarum Ennianarum, Lucilii, Horatii, Persii dissimilium, fuerit natura, Diomedes (III, p. 482 P.) his verbis significat: „satura dicitur carmen apud Romanos, non apud Graecos, maledicum et ad carpenda hominum vitia archaeae comediae charactere compositum, quale scripserunt Lucilius et Horatius et Persius; at olim carmen, quod e variis poematibus constabat, satura nominabatur, quale scripserunt Pacuvius et Ennius. Cfs. Quintil. X, 1, 93.

3) Quatenus autem Ennius Sotade poeta usus sit ex huius illiusque reliquiarum tenuitate non liquet.

4) Hos indices fuisse unius eiusdemque libri et Hugius et Vahlenus nobis persuaserunt. Duo tantum enque levissima fragmenta restant.

5) Hoc libro Ennius Archestrati Gelensis, qui de arte coquinaria scripsit, vestigiis ingressus est.

6) Hoc poemate, quod quin versibus trochaicis scriptum fuerit iam dubium non est, Ennius Epicharmiarum sententiarum conlectionibus, quae, sive sincerae erant sive adulterinae, iam antiquissimo tempore manarunt, usus esse videtur.

7) Ennius Euhemerum Graecum, qui eo libro, cui „ἱερὰ ἀναγραφή“ inscriptio est, deorum numina religione sancita nihil aliud esse nisi homines divino honore affectos evincere sibi proposuerat „interpretatus et secutus est“ (Cic. De Nat. Deor. I, 42, 119).

8) Quod Ennius sibi dormienti Homerum visum in principio Annalium suorum scripsit illiusque „animam in suam corpus venisse,“ Horatius (Epist. II, 1, 50 sqq.) his verbis irridet:

„Ennius, et sapiens et fortis et alter Homerus,
Ut critici dicunt, leviter curare videtur,
Quo promissa cadant et somnia Pythagorea.“

Melius est iudicium, quod exstat apud Suidam v. Ἔννιος: Ῥωμαῖος ποιητής, ὃν Αἰλιανὸς ἐπαινεῖν ἄξιόν φησι. Σκιπίωνα γὰρ ᾄδων καὶ ἐπὶ μέγα τὸν ἄνδρα ἐξᾶραι βουλόμενός φησι μόνον ἂν Ὅμηρον ἐπαξίους ἐπαίνους εἰπεῖν Σκιπίωνος.

Iam vero mittamus haec et, id quod uberius exponere nobis proposuimus, quatenus Ennius, cum Annales suos non Saturnio versu, quem antecessores adhibebant, sed hexametro scripserit, de litteris Latinis meritus sit, demonstremus. Atque dubito an incipiendum sit ab hexametri versus arsi thesique, quippe quae multo certioribus finibus quam arsis thesisque versus et Saturnii et scaenici circumscriptae sint. Quae res quanti sit momenti ut diiudicari possit, ante omnia versus Saturnii et scaenici quae fuerit natura ratioque paucis explanandum puto. Quod attinet ad metrum Saturnium, cuius ut normam Terentianus Maurus (p. 2439 P.) hoc exemplum attulit:

Dabunt malum Metelli — Naevio poetae
„Dabunt malum Metelli“ — clauda pars dimetri
Post „Naevio poetae“ — tres vides trochaeos

arsis aut ex una syllaba eaque producta aut ex duabus correptis constabat; thesis autem aut unam syllabam et correptam et productam aut duas syllabas correptas complectebatur; quin etiam prorsus supprimi poterat. Quod primus Fridericus Lachmannus nos docuit dicens [1]: „... in versu Saturnio saepius thesis omissa praecedentis et sequentis arseos vi compensatur.“ Huius viri docti vestigia persecutus C. O. Muellerus „supprimi posse theses omnes excepta ultima, maxime paenultimam“ contendit [2]. Corssenius autem „primam, mediam, postremam thesim supprimi posse“ censet [3]. Quod contra Fredericus Ritschelius „nec omitti unquam vel prioris hemistichii anacrusim vel alterutrius thesim finalem, nec unquam alteri hemistichio anacrusim addi, nec saepius quam in singulis hemistichiis semel reliquas theses supprimi“ affirmat [4]. Weilius autem et Benloevius et primam et mediam thesim supprimi posse atque versus Saturnios una arsi deficiente exstitisse sibi persuasum habent [5]. Qui viri omnes, quamvis inter se dissentiant, hoc tamen commune habent, quod versus Saturnii thesim saepe vel hic vel illic suppressam esse concedunt. Quis autem erraverit, quis recta senserit enucleare, ut est illorum versuum habitus et memoria, semper facillimum erit. Hoc unum mihi habeo persuasissimum, nunquam omitti potuisse ulterioris hemistichii thesim finalem, qua omissa versus natura funditus tolleretur. Nam vis uniuscuiusque versus, qualiscunque est, sub finem servanda est. Grammatici vero, qui de his versibus scripserunt, et quod proferunt ex superioris temporis scriptoribus mutuati sunt et posterioris temporis doctrina tenebantur. Quare quod illi de hac re attulerunt parvi momenti est. „Adhuc sub indice lis est“ [6]. Metrum autem Saturnium, quod Horatius „horridum“ dicere non dubitat [7], minime idoneum fuisse, quo qualis syllabarum vis et mensura fuisset tanquam ad amussim diiudicari posset, ex eis quae supra attulimus facile intellegimus.

Nec multum Romani in arte prosodiaca profecerunt scaenico versu adhibito, qui, quod spectat ad arsim thesimque, nulla alia re a versu Saturnio differebat nisi eo quod thesis nunquam supprimi poterat i. e. nunquam latens erat. Atque pedum metricorum varietas in scaenica poesi per-

---

1) Comment. Livian. I, 73.
2) Suppl. annot. in Pomp. Festum p. 396.
3) Origg. poes. Roman. p. 195 sq.
4) Tit. Mummian. p. 1 sq.; Inscript. col. Rostr. Duell. p. 20 sq.; Poes. Saturn. spicileg. p. 1 sq.
5) Acc Lat. p. 95.
6) Quae cum ita sint, ad hos versus, ut gravissimam illam quaestionem, quae est „de accentus verborum cum numerorum rationibus consociatione,“ solvamus, recurrere vix possumus.
7) Epist. II, 1, 157.

magna erat, id quod Ritschelius (Proll. ad Trin. c. XVII) exposuit, quam expositionem accuratam limatamque per capita decurrere liceat. Et primum quidem multa in hoc genere praecipiuntur, quae non tam in pedes valent quam in vocabula, quae illorum pedum mensuram aequant. Quid enim? Quod in iambicis senariis maxima cautione contineri anapaesti usum dicunt: vocabula quidem anapaestica cautissime vitabantur, pedes autem anapaestici usus ut quidquam habeat offensionis tantum abest, ut vel binos anapaestos cum aliis locis tum in primo et altero pede licitos fuisse non sit pernegandum [1]). Ac pariter se habere dactylum in trochaicis versibus necesse est, cum anapaestus ad iambicos versus eandem habeat rationem quam dactylus ad trochaicos [2]). Ut anapaestorum geminatio praecipue primo secundoque iambicorum senariorum pede tenetur, ita dactylos geminos multo frequentius quam caeteri primus alterque pes trochaicorum versuum admisit. Ne vero dactylus in septenarii septimo pede exstet, huius versus catalectici conditio prorsus prohibet; nec saepenumero in quarto pede invenitur [3]); in quo pede dactyli usus his quidem conditionibus adstringitur, ut, cum praeter principalem caesuram, quae est post quartum trochaeum, duae exstent secundariae, quarum altera post quartam arsim locum obtinet, altera post quintam, dactylus „tantum non semper cum priore genere vicariae caesurae coniunctus esse dicatur, nunquam cum posteriore genere, fere nunquam cum legitima caesura“ [4]). Quod contra anapaestum in senariorum pede tertio quaevis caesura passa est [5]). Praeterea in fine et senariorum et septenariorum tribrachys apparet paenultima arsi soluta, qua solutione versus, prout ultima syllaba fert, in proceleusmaticum vel in paeonem quartum desinit [6]). Quod vero pertinet ad vocabula illos pedes aequantia pulcherrima elegantissimaque talis est ratio, ut proceleusmaticus vel paeon quartus unum idque quadrisyllabum vocabulum complectatur [7]); nec tamen duo bisyllaba ars improbavit, perraro trisyllabum invenitur insequente monosyllabo, nunquam vice versa monosyllabum trisyllabo sequente [8]). Proceleusmaticum vero integri iambici pedis vicarium poetae veteres omnibus trimetri locis ultimo pede excepto admiserunt, „hac tamen prope constanti condicione ut verborum ordinibus a binis prioribus syllabis posteriores binae dispescerentur“ [9]).

His quidem collatis, quamquam saepenumero hac multiplici pedum commutatione versuum celeritatem expeditam ac profluentem ortam esse non est quod negemus, tamen ne hoc quidem metrum scaenicum vocalium enervationi resistere potuisse facile cognoscimus.

Magna autem facta est commutatio versu hexametro a Romanis recepto, cuius versus natura talis est, ut arsis, quippe quae nunquam in duas partes dissolvi possit [10]), semper unam syllabam productam, thesis vel duas syllabas correptas vel unam productam contineat. Quare uniuscuiusque syllabae qualis esset mensura statuendum erat. Atque haec quidem res prima erat, in qua Ennius, Latini versus hexametri auctor, versatus est et ita quidem versatus est, ut inconstantiam prosodiacam fluctuationemque, quae usque ad id temporis valuerat et valere pergebat, radicitus evelleret omnesque syllabas ad certissimam eamque, quantum vitae consuetudo patiebatur, pristinam normam perduceret, qua aut ut productae aut ut correptae apparerent [11]). Quam magnam quae-

---

1) l. a. p. 271. — 2) l. a. p. 272. — 3) l. a. p. 273. — 4) l. a. p. 276. — 5) l. a. p. 286. — 6) l. a. p. 287. 7) l. a. p. 287. — 8) l. a. p. 288. — 9) l. a. p. 289.

10) Nec vero hoc ab initio sine ulla exceptione observatum esse infra videbimus.

11) Ennius autem cum id ageret ut vocalium productarum mensuram genuinam pro virili parte servaret, idem ex-

stionem quomodo Ennius expedierit, et eorum quae mutavit, et eorum quae vitae consuetudine mutare prohibitus est, rationem habentes perscrutemur.

Ac primum quidem dicamus de adverbiis ‚e' vocali terminatis, quae origine sua ablativos in ‚d' litteram desinentes fuisse et facilumed forma, quae exstat in Sc. de Bacanalibus, ostendit et amprufid vox, quae est forma Oscica, improbe adverbio Latino respondens[1]), nobis persuadet; facilumed autem revocandum esse constat ad facilumo stirpem, in qua d (t) littera illigata est vel ‚e' vel ‚el' vel ‚i' vocali copulativa quam dicimus adhibita, quae vocalis cum ‚o' vocali exeunte primum in ‚oe', tum in ‚e' coaluit[2]). Hac autem ‚d' littera abiecta ‚e' vocalem finalem a principio productam iam apud Plautum et Terentium in formis iambicis correptam esse benĕ, malĕ, probĕ[3]) vocalae ostendunt. Bene, male ut pyrrhichii inde a Plauto et Terentio vitae consuetudine paullatim tam firmati probatique erant, ut Ennius has voculas ultima producta pronuntiare non auderet. Conferas Annal. vv. 33, 112, 239, 274, 512; Trag. vv. 29, 242, 266, 295, 303, 355, 429; Com. 3; Sat. 9. „Probe" autem adverbium in Ennianae poesis reliquiis omnino non exstat. Huius vero quae agitur correptionis vis tanta erat, ut inde a Lucretio etiam trisyllaba adverbia nonnunquam ultima correpta pronuntiarentur, velut:

Lucr. IV, 437: „Remorum, recta est, et recta supernĕ guberna:"
eiusd. VI, 544: „Terra supernĕ tremit, magnis concussa ruinis"
eiusd. VI, 595: „Tecta supernĕ timent, metunt infernĕ cavernas"
eiusd. VI, 763: „Ducere forte deos Maneis infernĕ reamur:" Corss. l. a. I, p. 336.

Idem habemus quo ponē (a pono stirpe profectum), quē (a principio idem significans quod qui ablativus) explicemus, que autem particula posteriore aetate, ubi duobus vocabulis sese excipientibus addita est, nonnunquam arsis vi priore loco producta est, velut

Ovid. Metam. V, 484: „Sideraquē ventique nocent; avidaeque volucres."
Verg. Aen, III, 91: „Liminaquē laurusque dei, totusque moveri." Corss. l. a.

Apud vetustiores poetas que etiam semel positum nonnunquam productum est, ut apud Naevium, Prisc. VI, 6. H:

„.. ínerant sígna expréssa, quó modó Titáni,
Bicórporés Gigántes mágniquē Atlántes."

Fest. v. sagmina, p. 320, M.:

„Scopás atquĕ́ verbénas sagmina assumpserunt"

Et apud Livium Andronicum, Odiss. Gell. VI, 7, 11:

„Ibídemquē vir súmmus ádprimús Patrícoles." Corss. l. a. I, p. 337.

Nec minus huc pertinent antĕ, postĕ[4]) vocabula, quae ex antid, postid formis orta sunt, id quod antid-ea, antid-eo, antid-hac, postid-ea, postid-hac nos docent. Corss. l. a.

---

stitit quasi propugnator custosque soni alti qui dicitur, cuius locus in lingua Latina multo firmius finitus erat magisque quantitate tenebatur quam in lingua Graeca (Cfs. Corss. Ausspr., Vok. u. Beton. der L. Spr. I. 12).

1) Momms. U. D. gloss.

2) Corss. l. a. I, p. 335.

3) De „probe" voce conferas Poen. V, 5, 1; Fleckeisen, N. Jahrb. LXI, 43.

4) Enn. Fest. v. tonsam. p. 356. Vahl. Ann. v. 235. Plaut. Ritsch., Mus. Rhen. VII, 566.

ante vocis vocalem finalem initio longam fuisse documento est posterioris temporis inscriptio sepulcralis (I. N. 6656), ubi ante vox arsis vi ultimam habet productam:

„Debuit hic antē miseros sepelire parentes," Corss. I, p. 338. Tantum de his.

Iam dicamus de particulis quibusdam et breviculis voculis eisque bisyllabis, quorum paenultima correpta est, dico „nisi (si), quasi, modo, cito, ibi, ubi, mihi, tibi, sibi, ego," quarum vocum talis est ratio, ut „semper correpta ultima nisi, quasi, modo, et correpta autem et producta cito, ibi, ubi (non uti), mihi, tibi, sibi et ego" inde a Plauto Terentioque usurpata sint, cuius ancipitis mensurae haec vis est, ut „origine sua longa vocalis paullatim attenuaretur pronuntiando" [1]). Nec vero pro libidine veteres poetas scaenicos in hac ancipite mensura versatos esse Ritschelius (l. a.) his verbis docet: „.. non tantum rara apud Plautum in illis voculis, si a cito recesseris, omnibus ultimae syllabae productio est, sed in senariis septenariisque, quicquid quidam obloquuntur, nunquam probata, nisi ubi pausa fit vocis vel orationis, qua ratione praeter cetera productum modo frequentatur: contra sine ulla offensione admissa in altera arsi creticorum, ut qui numerus tanquam catalecticis ordinibus compositus singulorum pedum quasdam pausas habeat." Quae ratio ut valeret, Ritschelio quidam loci Plautini corrigendi erant. Sed alii viri docti, ut Bergkius [2]) et Umpfenbachius [3]) illam sententiam impugnarunt, id quod Ritschelium lege sua iterum in investigationem vocata ut in Persa ultimam sibi vocis, quae exstat in senario, productam admitteret commovisse videtur [4]). Quod spectat ad mihi, tibi, sibi, Spengelius [5]) horum pronominum ultimam productam lectione vulgata servata permultis locis Plautinis restituit, cui viro nescio an assentiar eam ob caussam, quod Ennius, ancipiti vocalium mensurae inimicissimus, mihi, tibi, sibi et correpta et producta ultima adhibuit, id quod, si illa correptio iam a Plauto quasi sancita esset, num facturus fuerit dubito. Caeterum vocalem finalem vocularum supra allatarum earumque in i exeuntium ab initio productam fuisse firmissimo sunt documento monumenta vetustissima, in quibus VBEI IBEI SIBEI NISEI (SEI) QVASEI MIHEI TIBEI scriptum invenimus. Cfs. Corss. l. a. I, 226 sq. EI autem nihil aliud fuisse constat nisi medium quendam sonum, quippe qui etiamtum remaneret, cum iam i vocalis in illius locum substituta erat, ita quidem, „ut neque e plane neque i audiretur" [6]). Praeterea autem inde a Gracchis Romani ad longam i vocalem significandam I longo inter caeteras litteras eminente utebantur. Conferas haec exempla: „PopIllius (Mus. Rhen. X, 141), CalId (Eckhel. Num. V, 158), nIve (l. Puteol. I. N. 4322), fIent (l. a.), felIcI (I. N. 6796), TullIs (I. N. 4322), hIc (I. N. 1658), VIbio (I. N. 418), sIgna (Boiss. Insc. Lyon. p. 136), quInque (Grut. 172. 2), QuInctilio (Henz. I. Rom. 5970), lIctor (Grut. 33, 4), VIpsanio (Grut. 74, 1), VIpsania (l. a. 610), VIpsani (l. a.), trIstior (C. I. Gr. 6268. Grut. 607, 4) [7]). Corss. l. a. I, p. 9 sq. Omnium autem vocabulorum, quae supra attulimus, anceps mensura iam Ennii tempore tam probata

---

1) Ritsch. Proll. Trin. p. 169.
2) Ind. lectt. Hal. a. 1858/59, p. IX.
3) Melett. Plaut. p. 27.
4) Persa (V, 81) „Omnem rem inveni ut suâ sibī pecūnia." V. Spengel. T. Maccius Plautus. Kritik, Prosodie, Metrik. Götting. 1865. p. 56.
5) l. a. p. 56 sqq.
6) Quint. I, 4, 5; Corss. I, 229.
7) Ritschl, Mon. epigr. tr. p. 31; Mus. Rhenan. VIII, 494; Momms. Mus. Rhen. X, 142.

erat, ut neque ab hoc viro tolli posset et inde ab illo tempore in omne tempus valeret. Sed habeo quod peculiari mentione dignum videatur idque ad mihi, nisi, quasi, ibi pertinens, quorum vocabulorum mihi, nisi, quasi in reliquiis Ennianis ultima semper correpta, ibi in Annalibus ultima producta, in Tragoediis correpta apparet. Quapropter exempla huc spectantia omnia infra posui:

Ann. v. 7 (Vahl.): Ei mihĭ qualis erat
ibid. v. 111: Quod mihĭ meaeque fide et[1])
Trag. 56: Séd mihĭ ne utiquam cór
ibid. 168: Mihĭ lícuit, nec miseraé
ibid. 309: Míhĭ maerores, ílli luctum,
ibid. 366: Nam íta mihĭ Telamónis patris,[2])
ibid. 394: ... pol míhĭ fortuna mágis nunc
ibid. 409: .... quám mihĭ maximum hódie hic
ibid. 417: Phílosophari est míhĭ necesse, at paúcis:[3])
Ann. 101: Hoc nisĭ tu: nam mi calido
ibid. 485: Quí vincit non est victor nisĭ victus fatetur.
Trag. 184: Nísĭ patrem matérno
ibid. 380: Quod nísĭ quieris, Ménelae,
Sat. 8: Numquám poëtor nísĭ si podager
Ann. 518: Tantidem quasĭ feta canes
Trag. 101: ...... sed quasĭ ferrum aút lapis
ibid. 388: Quasĭ lúmen de suo lúmine
Ann. 60: Haec ecfatus: ibī latrones
ibid. 73: Inde tuetur ibī lupus femina,
ibid. 296: Summus ibī capitur meddix:
Trag. 197: Quís ibĭ non est vúlneratus
ibid. 255: 'Id agit, id studét, ibĭ mentem atque ánimum[4])
ibid. 352: 'Ibĭ tum derepénte
ibid. 392: 'Ibĭ quíd agat secum cógitat
ibid. 446: 'Ibĭ pinos rectósque

cito adverbium in poesis Ennianae reliquiis non exstat.

modo in Annalium reliquiis nusquam, in Tragoediis bis est, v. 298 et v. 383, quorum versuum hic in caussam venire non potest propterea quod modo vocula in versus exitu exstat; v. 298: „Quám semel modo párero" modo vocis ultima correpta est.

---

1) Ann. v. 284: „Hostem qui feriet mihi erit Karthaginiensis" de mihi vocis mensura propter elisionem adhibitam diiudicari non potest.

2) Hoc uno versu mihi vocis ultima producta esse potest, non debet, quare cum caeteris normae nostrae accommodanda est.

3) v. 367 et v. 385 nihil ad hanc quidem rem valent, quod mihi in fine versus exstat. Ann. 101, 200, Trag. 43, 50, Epigr. 10 „mi" pro „mihi" positum est; Ann. 131 „mis" vim mihi vocis habet.

4) De hac ibi particula idem quod de mihi voce (Trag. v. 366) iudicandum est.

Hoc loco quae commemoretur homo vox digna est, quippe quae „saepissime correpta ultima“ posita sit apud Plautum poetasque aequales[1]). Cuius tamen mensurae exemplum in Ennii Annalium reliquiis invenies prorsus nullum. Exempla quae exstant sunt:

Ann. 40: Nam me visus homo pulcher
ibid. 100: Nec pol homo quisquam
ibid. 183: Navus repertus homo Graio patre Graius homo rex
ibid. 250: Suavis homo facundus suo
ibid. 313: Unus homo nobis
ibid. 486: Dum quidem unus homo Romanus

Inde autem ab Ovidio huius vocalis correptio latius vagari incepit, id quod Corssenius (l. a. I, p. 343) admonuit, illiusque correptionis (p. 344) permulta exempla congessit, velut: mucrŏ (Mart. IV, 18, 6), nemŏ (Mart. I, 40, 2; Iuven. IV, 8; 119; III, 46; VII, 17; VIII, 45; XI, 3; 131; XIX, 59; 207; XV, 8), virgŏ (Mart. XI, 78, 12; Iuv. III, 110; IX, 72), latrŏ (Mart. XI, 58, 8), pulmŏ (Iuv. III, 138), sermŏ (ibid. VI, 193), Nerŏ (ibid. X, 308; XII, 129), portiŏ (ibid. IX, 128), potiŏ (ibid. VI, 624), mentiŏ (ibid. III, 114), obliviŏ (ibid. VI, 613), occasiŏ (Mart. VIII, 9, 3; Iuv. XIII, 183; XV, 39), libidŏ (Mart. IX, 9, 8; Iuv. II, 14), imagŏ (Mart. II, 66, 8; XI, 102, 8), indignatiŏ (Iuv. I, 79), desperatiŏ (ibid. VI, 367), permutatiŏ (ibid. VI, 653), declamatiŏ (ibid. X, 167). Huius autem correptionis caussa in eo posita est, quod lingua Latina semper ad vocalium correptionem inclinavit. Nec tamen Ennium hanc quidem ad rem bene meritum esse negandum est. Nihil enim antiquius habebat quam ut syllabarum inconstantiam tolleret et vocalium debilitationi enervationique, quae tum aequo plus valebat, pro virili parte obsisteret. Quam enervationem, nisi cancelli ab Ennio tam arte circumscripti essent, paullatim omnem modum excessuram fuisse nemo erit qui neget. Sed haec hactenus.

Iam de verborum formis in vocalem exeuntibus dicamus ac primum quidem verborum formarum iambicarum, quas saepenumero „vitae consuetudo passa est correpta ultima pronuntiari[2]), rationem habeamus. Cuiusmodi exempla sunt: eŏ, agŏ, volŏ, sciŏ, sinŏ, negŏ, dabŏ, erŏ. Corss. l. a. I, p. 345. Apud Caecilium iam ībŏ exstat. Ribb. Com. p. 56. In flore litterarum Latinarum talis correptio praecipue in eo poesis genere invenitur, quod sermoni volgari proximum est. Cfs. volŏ (Cat. 6, 16. Hor. Sat. I, 9, 17), vetŏ (Hor. Sat. I, 1, 104), eŏ (l. a. I, 6, 119), petŏ (Ovid. Am. II, 10), putŏ (Ovid. Met. VIII, 60; III, 266; XI, 425. Art. A. I, 370), sciŏ (Ovid. Trist. V, 4, 46). Corss. I, 345. Longius autem huius correptionis fines prolatos esse videmus in: tollŏ (Ovid. Am. III, 2, 26), nesciŏ (Hor. Sat. I, 9, 2), rependŏ (Ov. Her. XV, 32), desinŏ (Tib. II, 6, 41), dixerŏ (Hor. Sat. I, 4, 104), oderŏ (Ovid. Am. 11, 35). Corss. l. a. Saeculo autem quarto in sermone volgari hanc o vocalem finalem semper correptam esse Diomedes (p. 430. P.) his verbis docet: „Paullatim autem usus invaluit, ut in sermone nostro, ut „scribŏ, dicŏ“ et in ceteris eiusmodi o non solum correpta ponatur, sed etiam ridiculus sit, qui eam produxerit. Mirum igitur non est, si consuetudinem sequitur versus, nisi sit, ubi poeta maiorem sibi licentiam vindicavit.“ Sed quam incerta haec mensura etiam aetate posteriore fuisset ut ostenderet, Corssenius (I, 347) haec exempla attulit:

1) Ritsch. Proll. p. 166; Lab., Ribb. Com. fragm. 239.
2) Ritsch. Proll. p. 166.

Mart. Epigr. II, 18, 1: Captŏ tuam, pudet heu, sed captŏ, Maxime, cenam.
ibid. IV, 69, 4: Nec putŏ nec credŏ, Papile, nec sitiŏ.
ibid. XI, 107, 3: Omnia legisti, credŏ, sciŏ, gaudeŏ, verum est.
Iuven. VI, 223: Hoc volŏ, sic iubeŏ..
Auson. Epigr. 105, 3: Vadŏ tamen, sed dimidius, vadŏ minor ipso.

Nec minus poetae correptionem verborum formarum in **i** vocalem exeuntium passi sunt, ut: darĭ (Plaut. Rud. 960. Ter. Ad. 311. Phorm. 261), patĭ (Plaut. Aul. IV, 9, 16), loquĭ (Bacch. 1104. Ritsch. Proll. p. 168), dedĭ (Trin. 728. Mil. 131. Capt. 364. Poen. I, 3, 7. Cist. II, 3, 29), bibĭ, stetĭ (Ritsch. l. a. Fleckeisen. N. Jahrb. LXI, 17), venĭ (imperativ.) Plaut. Pers. 30; abĭ (Plaut. Most. 66). Corss. I, 341. Posteriore autem tempore haec i vocalis semper producta apparet, id quod haud scio an magna ex parte Ennius perfecerit. Ne longus essem, omnes verborum formas Ennianas, in quibus vocalem a principio quidem productam, sed temporum decursu paullatim correptam, mensura genuina adhibita videmus servatam, infra posui:

fīere: Ann. 15: ..... memini me fiere pavum.
ēssēt: ibid. 86: Omnibus cura viris uter esset induperator.
adnūit: ibid. 136: Adnuit sese mecum decernere ferro.
dederītis: ibid. 200: Nec mi aurum posco nec mi pretium dederitis:
fūisset: ibid. 242: Partem fuisset de summis rebus regundis
ponebāt: ibid. 314: Noenum rumores ponebat ante salutem.
capī: ibid. 360: Nec cum capta capi nec cum combusta cremari.
morīmur: ibid. 384: Nobis ostendat si vivimus sive morimur.
infīt: ibid. 386: Infit „o cives quae me fortuna ferocem.
tinnīt: ibid. 432: Configunt parmam, tinnit astilibus umbo.
fūimus: ibid. 440: Nos sumus Romani qui fuimus ante Rudini.
ponīt: ibid. 484: Multa foro ponit et agoea longa repletur[1]).

Atque similis correptio adhibita est in:

domĭ, Plaut. Mil. 194. Most. 281. Pompon. Ribb. Com. p. 201.
herĭ, Afran. Ribb. Com. p. 157. Caec. l. a. p. 58.
erĭ, Mil. 362. Corss. I, 340.

Quo accedunt „malŏ, iocŏ, probŏ, merĭ, virĭ, manŭ, metŭ, brevĭ, similia (Ritsch. Mus. Rhen. XIV, 396), quippe quae formae id inter se commune habeant, quod mensuram a principio iambicam aequant. Huius autem et illius licentiae prosodiacae Ennius in Annalium reliquiis nullum exemplum praebet. Conferas:

v. 103: Virginis. .. Nam sibi quisque domī Romanus habet sas.
v. 315: Ergo priusque magisque virī nunc gloria claret[2]).
v. 332: Insece Musa manū Romanorum induperator

1) Cfs. Corss. II, 158. I, 351. II, 159. I, 357. II, 159. I, 348. 351. 352. II, 159. I, 353.

2) Priusque cum Bergkio (N. Jahrb. 7. Jahrg. 1861) scripsi. Libri exhibent „postque," quod nihil sententiae praebet. Muretus in ea lectione offendens „Ergo magisque magisque" (Var. Lectt. VI, 14) coniecit, quam coniecturam ne recipiamus ultima „ergo" vocis correpta prohibet. I. Bernaysius „plusque" proposuit, quod Vahlenus recepit.

v. 372: Quo res sapsa locō sese ostentatque iubetque
v. 438: Histri tela manū iacientes sollicitabant.
v. 522: Inde locī lituus sonitus effudit acutos.
v. 558: Atque manū magna Romanos inpulit amnis.

Ut hanc quaestionem ad finem adducam, restat ut pauca de vocabulis in or desinentibus dicam, de quibus sic statuendum esse Ritschelius (Proll. p. 174) nos docuit, „ut per ternas tanquam successiones ex producta os syllaba fieret productum or et ex hoc demum illud, quod posterioris aetatis consuetudo probavit ŏr“[1]). Comparativorum or finale a principio productum fuisse et ex producto genitivo conici potest et ījāns (Sanscr.), ίων (Graec.) terminationes ostendunt[2]). Atque Plautus nonnunquam hoc or productum servavit. Conferas:

Bacch. 123: I stúltiōr es bárbaro Potítio.
Capt. 782: Tantó mi aegritúdo auctiōr est in ánimo.
Epid. III, 2, 35: Vorsútiōr es quám rota figuláris. Iam ego parábo.
Amph. 548: 'Atque quanto nóx fuisti lóngiōr hac próxuma[3]):

Correptio autem or syllabae apud Plautum a vocabulis iambicis incepit, ut: sorŏr (Trin. 374), amŏr (Trin. 264; 267), pudŏr (Stich. 323), labŏr (Capt. 196). Cfs. Fleckeis. N. Jahrb. LXI, 44. Corss. l. a I, p. 365. Sin posteriore aetate omnia vocabula in or exeúntia ultima semper correpta pronuntiabantur, discessum est a mensura Enniana. Ennius enim, qui — ut hoc tanquam in transcursu dicam — Hectōris, Hectōrem[4]) metiebatur, quod contra posteriore aetate Hectŏris, Hectŏrem secundum Ἕκτορος, Ἕκτορα formas Graecas pronuntiatum esse in volgus constat: Ennius igitur illam or syllabam ut productam ubique tuetur. Exempla Annalium reliquiarum sunt:

v. 42: Postilla, germana sorōr, errare videbar·
v. 117: O pater o genitōr o sanguen dis oriundum!
v. 160: Atque gubernatōr magna contorsit equos vi.
v. 211: Oratōr sine pace redit regique refert rem.
v. 273: Spernitur oratōr bonus, horridus miles amatur.
v. 304: Additur oratōr Cornelius suaviloquenti.
v. 408: Qui clamōr oppugnantis vagore volanti
v. 422: Tollitur in caelum clamōr exortus utrimque.
v. 424: Imbricitōr aquiloque suo cum flamine contra
v. 444: O genitōr noster Saturnie maxime divum!
v. 469: Et meliōr navis quam quae stlataria portat
v. 485: Qui vincit non est victōr nisi victus fatetur.
v. 520: Clamōr ad caelum volvendus per aethera vagit.
v. 601: Tum lateralis dolōr certissimus nuntius mortis.

---

1) Cfs. gánitār (Sanscr.), γενετήρ (Graec.), genitōr (Lat.); dātá(r), δοτήρ, datōr (Bopp, Vergl. Accentuationssyst. des Sanskr. und Griech. p. 5 f. 179 f. Corss. l. a. I, p. 233, 364).
2) Corss. I, 365.
3) Cfs. Ritsch. Mus. Rhen. XIV, p. 396. Fleckeis. N. Jahrb. LXI, 44. Ritsch. Proll. p. 175. Corss. l. a.
4) Trag. v. 25: 'Ubi fortuna Hectóris nostram
ibid. v. 130: Hectóris natum dé muro iactárier.

Versus 86, 332, 350, 399, 448, 552 in caussam venire non possunt propterea quod vocabula in or desinentia in exitu versuum exstant [1]). Unum tantum exemplum, quod supra consulto omisi, volgari lectione servata obstat, dico sudor vocem, quae est Ann. rell. v. 436:

„Totum sudor habet corpus multumque laborat"

Verbis autem ita transpositis:

„Corpus habet totum sudor multumque laborat"

vel sudor vocis loco cum corpus voce permutato, id quod simplicius est, ut versus talis sit:

„Totum corpus habet sudōr multumque laborat"

sudor vocis ultimam habebis productam. Verba autem

„Totum corpus habet sudor multumque laborat"

quomodo fieri potuerit ut in volgarem eamque pravam collocationem transirent, si quaeres caussam, te ad versum 434:

„Undique nitendo corpus discerpere ferro"

reiciam. Quo versu cum corpus nomen proximum ante caesuram semiseptenariam locum occupasset, librarius quidam facile eo adduci potuit, ut v. 436: idem corpus nomen a genuina verborum collocatione discedens in eadem sede poneret [2]). Haec quidem de his.

Iam vero ad aliud transeamus, in quo Ennii opera versabatur, idque spectans ad stabiliendam positionem, cuius vim saepissime a Plauto Terentioque neglectam esse nemo nescit. Ac primum quidem dicamus de ea positione, quae fit in mediis vocabulis. Quo pertinent ante omnia „vitae usu detritae ille, iste, esse, eccum voculae, quibus aliquanto rarius correptum ipse accedit." Ritsch. Proll. p. 122 [3]). Cur autem ipse pronomen multo rarius positionis legem neglexerit facile est intellectu. Ubicunque enim illud pronomen exstat, premitur ob eamque caussam maiore vi pronuntiandum est. Sed praeter ille, iste, esse, eccum, ipse voculas etiam „inde, unde, intus, inter (interim), nempe, omnis vocabula correpta paenultima, quam-

1) Quod vero vv. 160, 211, 273, 304, 444, 469, 485, 601 in fine vocabulorum de quibus agimus exstat positio: hoc magis casu factum est nec ad confirmationem nostram diluendam proferri potest.

2) Hoc autem loco summatim afferre liceat nonnulla nomina supra praetermissa, quorum vocalem a principio quidem productam, postea autem correptionis vi ad brevitatem depressam, Ennius genuina mensura usus servavit. Sunt enim haece:

Ann. v. 148: aquilā: Et densis aquila pinnis obnixa volabat.
ibid. v. 319: fulvā: iamque fere pulvis fulva volat —,
ibid. v. 484: aegoeā: multa foro ponit et agoea longa repletur. Cfs. Vahl. Mus. Rhen. XIV, p. 555.

Quibus exemplis Bergkii coniectura probabili haec accedunt:

Ann. v. 305: conlegā: ore Cethegus Marcus conlega Tuditano,
ibid. v. 433: galeā: aerato sonitu galeā: sed nec pote quisquam. Cfs. Jahrb. für class. Phil. 1861, p. 324, 496 sq. Fleckeis. Krit. Misc. Dresd. a. 1864, p. 14.

3) Quod attinet ad esse, ille, eccum voculas, geminatarum consonantium auctor Ennius fuit, quippe qui, cum subauscultando, quas consonantes vitae consuetudo pronuntiando geminaret, observasset: hanc geminationem pronuntiatione cotidiana probatam firmatamque etiam scribendo significaret (Cfs. Fest. s. v. Solitaurilia p. 293. M. Ritsch. Tit. Mumm. p. 4. Mon. epigr. tr. p. 10, 32. Tit. Aletr. p. 4-6). Ritschelius (Tit. Al. p. 4) geminatarum consonantium tempus certis finibus coercuit. Huius viri verba sunt: „Etenim non est geminatum, si ab uno eoque singulari exemplo recesseris, ante Ennium; promiscue vel geminatum vel non geminatum inde ab anno circiter 580 h. e. paullo ante mortem Ennii, qui anno 585 obiisse perhibetur; saepius geminatum quam non geminatum paucissimis exceptis vetustioris moris reliquiis paullo post annum 640."

quam multo rarius, usurpata“ videmus. Ritsch. l. a. p. 126 sqq. Quae autem Ritschelius rimando singula sibi videtur effecisse, ea paucis (p. 134) his verbis complectitur: „neglecta in media voce vis positionis et paucorum vocabulorum bisyllaborum certis exemplis continetur, et illorum ita comparatorum, ut nec tres unquam corripiantur, sed tantum binae consonantes, et harum altera, si a st et geminatis discesseris, soleat liquida esse, ut in inde, unde, intus, inter (interim), nempe, omnis.“

Atque correptionem, „quae fit in binarum vocum concursu,“ Ritschelius (l. a. p. 138) tam angustis cancellis circumscriptam voluit, ut nihil aliud huc pertinere putaret, nisi interrogativam ne particulam, „cuius ea natura fuit, ut abiecta ‚e‘ vocali nulla oriretur ‚n‘ litterae et insequentis consonantis positio,“ et hĭc, hŏc formas, de quarum „correptione ante qu sonum (ad similitudinem ĕccum vocis) in principio versuum dubitandum esse“ negavit. De voculis apud, quidem, enim, tamen, simul, manus, senem, fores, minas et quae sunt similia, in quibus, si communem opinionem sequimur, correptio admissa est, Ritschelius (p. 142) sic statuendum esse censuit, ut non tam „correptis ultimis syllabis quam pronuntiando elisis primis“ illae voculae sicut „bonus, bonum, malos, mali, bene, male, domum, domi, domo“ dictae esse putarentur. Cuius sententiae auctorem attulit (Mus. Rhen. XIV, p. 403) Godofredum Hermannum, qui saepe monosyllaba esse domi, boni, mali, malum contendit[1]). Postea autem Ritschelius studiis epigraphicis eo pervenit, ut longe aliter hac de re iudicandum esse intellegeret. Namque vetusta monumenta epigraphica sat multa exempla praebent vocabulorum, quorum consonantes finales prorsus omissae sunt, idque propterea quod sermone cotidiano, quem comici imitari nitebantur[2]), non pronuntiabantur. Ac primo quidem loco liquidae ponendae sunt. Pro tamen voce aliquando exstitisse tame formam constat. Ex qua forma tam monosyllabum ortum est idque in posterioris aetatis inscriptione[3]) id quod tamen significans, quam significationem etiam in tametsi composito servatam videmus[4]). Eodem simul, semel spectant mensuram pyrrhichiacam saepe apud Plautum ante insequentem consonantem aequantia, quamquam pronuntiandi consuetudinem his in voculis etiam scribendo significatam esse nescimus. Quod tamen in simitu (i. e. simul) pro simitur factum est, praeterea in MAIO, MINO Epithaphiorum Praenestinorum 1. 16. 26. 48. 71 (Ann. de Inst. 1855, p. 78 sq.)[5]). Mommsenius autem MAIO, MINO formas ad MAIOS, MINOS revocandas esse putat[6]), id quod necessarium esse Ritschelius merito negat[7]).

---

1) Elem. doctr. metr. p. 65.
2) Cfs. Mar. Victor. p. 256: „Comici dum cotidianum sermonem imitari nituntur, metra vitiant studio, non imperitia, quod frequentius apud nostros quam Graecos invenimus“ (cf. Prisc. lib. de vers. com. p. 1321. Ter. Maur. 2433). Praeterea quae afferantur digna sunt Quintiliani verba (II, 10, 13): „Quod faciunt actores comici, qui nec ita prorsus, ut nos vulgo loquimur, pronunciant, quod esset sine arte, nec procul tamen a natura recedunt, quo vitio periret imitatio, sed morem communis huius sermonis decore quodam scenico exornant.“ Corss. II, 75.
3) Orell. 4360.
4) Ritsch. Proll. p. 143. Mus. Rhen. XIV, p. 399.
5) Mus. Rhen. ibid.
6) Hist. Rom. (ed. II) p. 444 adn.
7) Mus. Rhen. XIV, p. 399 adn.

Quam saepe m littera, quae in aliis vocum locis aliter pronuntiabatur [1]), debilitata abiectave sit vix est quod admoneam. circum cum aliis vocibus eisque a vocali incipientibus compositum amittit m finale, ut: circuire, circuitus, circuago (Prisc. II, 3. H.). Idemque cadit in com praepositionem, velut: coagulum, coactum, coalescere, coaptare, coartare, coemptio, coetus, coimere, coire, coorior, coortus, cooptare; comitium vox excepta est. Corss. l. a. I, 107 sq. Praeterea m litterae finalis vim minimam, ne dicam nullam fuisse inde intellegi potest, quod Verrius Flaccus ad eam litteram significandam partem illius priorem (Ɲ) tantum scribi voluit. Cfs. Vel. Long. p. 2238: „Nonnulli synaloephas quoque observandas circa talem scriptionem existimaverunt, sicut Verrius Flaccus, ut ubicunque prima vox m littera finiretur, sequens a vocali inciperet, M non tota, sed pars illius prior (Ɲ) tantum scriberetur, ut appareat exprimi non debere." Quintilianus de hac m littera finali (IX, 4, 40) dicit: „parum exprimitur — neque enim eximitur, sed obscuratur." Donati verba sunt (Ter. Adelph II, 1, 53): „m littera est nimium pressae vocis ac paene nullius." m finale nonnunquam in n litteram ante vocem ab n littera incipientem attenuatum esse Cicero (Orat. 45, 145) et Quintilianus (VIII, 3, 45) testantur. Saepenumero autem m finale omnino detrusum est [2]) permultaque exempla in hanc partem valentia Corssenius (I, p. 110) attulit. Nec nescimus s litteram finalem non raro decisam esse, unde Achilli, Neocli, Xerxi similesque genitivi, unde delectare, laudare, videbare, loquerere, verebere (pro delectaris, laudaris e. q. s.) formae quo explicentur sumunt. Conferas has nominativi casus formas:

Tetio (pro Tetios) t. Pis. Ritsch. fict. Lat. p. 27.
Popaio (pro Popaios) t. Pis. Momms. U. D. p. 342.
Furio (pro Furios) t. Fur. l. a. p. 276. e. q. s. Corss. I, 119.

Atque ex magis, potis adverbiis s littera finali detrusa mage, pote exorta sunt. Corss. I, p. 119.

Porro d finale saepe abiectum esse documento sunt ablativi vetustiore aetate d littera terminati, ut:

praidad (tit. Fur. Momms. U. D. p. 276).
sententiad (Sc. d. Bacc.).
meritod (Ritsch., fictil. Latin. ant. p. 27).
Gnaivod (t. Scip. Barb.).
Beneventod (Momms. U. D. p. 203).
airid (Momms. l. a. p. 366).
senatud (I. N. 715). Corss. I, 72. 73.

In Oscorum ablativorum formis haec d littera servata est, velut:

Osc. suvad,	Lat. sua.	Osc. entrad,	Lat. extra.
„ moínikad,	„ com-muni.	„ aragetud,	„ argento.
„ dolud,	„ dolo.	„ malud,	„ malo.
„ preivatud,	„ privato.	„ castrid,	„ castro.

Momms. U. D. p. 228. 230. Corss. I, 73.

1) Cfs. Prisc. I, 38. H.: M obscurum in extremitate dictionum sonat ut „templum," apertum in principio ut „magnus," mediocre in mediis ut „umbra."

2) Cfs. Tit. Mumm. p. 7. Mon. epigr. tr. p. 17. Mus. Rhen. XIV, p. 397,

Hanc autem d litteram finalem linguae et Oscae et Latinae ex t consonante ortam esse eorundem vocabulorum ablativi linguae Sanscriticae docent[1]. Item esto (d) (Osc. estud), facito (d) (Osc. factud), agito (d) (Osc. actud), liceto (d) (Osc. licitud[2]), similia ad imperativos Sanscriticos in tat desinentes revocanda sunt. Corss. I, 74. Praeterea huc pertinent haud (hau), red (re), prod (pro), unde quo redire, prodire explices habes. Denique apud afferendum est, utpote quod saepenumero apud Plautum consonante subsequente mensuram pyrrhichiacam habeat. Quam ad praepositionem num Plautus eiusque aequales pronuntiandi consuetudinem scribendo quoque exaequaverint incertum est. Hebetatam autem formam reapse exstitisse „ape (παρά)“, quod est in glossariis, ostendit, quamquam ape eodem iure ad vetustum apor (Fest. p. 26 Muell.), quo ad apud referri potest, cum o in e et u in e transgressum idem habeat quo explicetur[3]).

Postremo verborum formarum t quin etiam nt litteris finalibus abiectis saepissime in vetustis monumentis epigraphicis exstantium ratio mihi habenda est. Quo in genere maximi sunt momenti haec verba:


QVISQVIS AMA(t), VALIA(t), PERIA(t) QVI PARCI(t) AMARE,

quae legimus in inscriptionibus Pompeianis. Ritsch. Mus. Rhen. XIV, 400.

Porro: DEDE, t. Pisaur. Ritsch. fictil. Latin. p. 27.
DIIDRO (i. e. ded(e)ront), t. Pisaur. Maff. Mus. Veron. 470, 7.
DEDERI, Or. 1433[4]).

DEDA, a Mommsenio optimo iure ad „dedant“ revocatum et ad doricum „πεφύκαντι,“ cuius Attica forma est „πεφύκασι,“ redactum. Quo accedit EMERV, quod exstat in Corana quadam inscriptione, saeculo sexto tribuenda[5]). Unde censuere (I. N. 715. 716), habuere, fuere, aliarum similium posterioris aetatis formarum originem repetendam esse vix ac ne vix quidem est quod dicam. Sed, ut unde egressi sumus regrediamur, Ritschelius (Mus. Rhen. XIV, 400. 404), quod attinet ad studet par, amat mulier, similia, inscriptionum exempla allata secutus sic potius iudicandum esse dixit, ut comici, quos cotidianum sermonem imitari nisos esse iam supra admonui, non tam „studet par, amat mulier,“ e. q. s. quam „stude' pár, ama' múlier,“ habe' sóllicitum, pude' dícere, nega' quís, dole' díctum, iube' fráter, capu' prúrit' etc., itemque „Habe(nt) déspicatu (Ter. Eun. II, 3, 93), Sole(nt) ésse (Ter. Heaut. V, 2, 40), stude(nt) fácere

1) Bopp, Vergl. Gramm. p. 209 sq.
2) Kirchhof, Stadtrecht von Bantia p. 79.
3) Ritsch. Mus. Rhen. XIV, p. 400.
4) Conferas hanc Corssenii (I, 276) formarum compositionem:



5) Henz. ad Orell. 3, 7022. Ritsch. Mus. Rhen. XIV, p. 401.

(Ter. Ad. V, 7, 2)" [1]) pronuntiasse existimarentur. Qua sententia probata, quam quis est qui non probet, in confiniis illorum vocabulorum sane non admissa est positionis vis, sed vis non admissa est, quod positio omnino non exstabat. Quae cum ita sint, Ritschelii sententia, qua „enim tu, quidem non" alia similia positionis vim neglexisse negavit (Proll. p. 140 sq.), etiamnunc valet. Idemque nescio an transferendum sit ad positionem, quae communi opinione in mediis vocabulis fit, cum consonantium finalium attenuatio paullatim ad medias consonantes deflexerit. Quod pertinet ad Ennium, ut ad hunc nos referamus, consonantium finalium debilitatio, de qua agimus, nullas alias, nisi m, ut quae consonans vocem a vocali incipientem antecedat, quod vitium nunquam exstinctum est, et s litteras complectitur. Et de s quidem littera res ita se habet, ut subsequente alia consonante positionis vis modo admissa, modo neglecta sit i. e. s littera finalis modo valeat, modo non valeat. Quae licentia usque ad Ciceronis aetatem perrexit (Cic. Or. 48, 161). Inde a quo tempore s finalem et consonantem insequentem semper positionis vim effecisse in volgus constat. Quod spectat ad s litteram finalem, iam nonnulla exempla ex Ennianorum Annalium reliquiis afferam; qua in re ita versabor, ut primum talia exempla congeram, in quibus s finalis et insequentis consonantis positionis vis apparet:

Ann. v. 1: Musae quae pedibus magnum
v. 17: Cum veter occubuit Priamus sub Marte
v. 29: Iuppiter ut muro fretus magis
v. 156: Tarcuini corpus bona femina

Iam subsequantur exempla in alteram partem valentia:

Ann. v. 10: Qua parire solet genus pinnis
v. 11: Non animam: et post inde venit divinitus pullis
v. 36: Excita cum tremulis anus attulit artubus lumen,
v. 39: Vires vitaque corpus meum nunc deserit omne.
v. 52: Vix aegro cum corde meo me somnus reliquit.
v. 78: Occiduntur. ubi potitur ratus Romulus praedam
v. 86: Omnibus cura viris
v. 130: ... quianam legiones caedimus ferro
v. 132: Et simul effugit, speres ita funditus nostras, e. q. s.

Aliam autem licentiam prosodiacam in omne posterum tempus valentem Ennius a Graecis recepit eamque eo spectantem, quod brevis vocalis ante mutam cum liquida et correpta et producta esse potest, id quod a veteri poesi Latinorum alienissimum est [2]). Huius autem positionis, quam grammatici dicunt debilem, pauca exempla ex Enniana poesi petita afferam et primum quidem eiusmodi exempla, in quibus brevis vocalis ante mutam cum liquida correpta est:

Ann. v. 107: Maerentes flentes lăcrimantes
v. 144: .... i caerulă prata
v. 158: Et qui sextus erat Romae regnare quădratae
v. 219: Ut primum tenĕbris abiectis
v. 237: Denique vi magna quădrupes eques

1) Corss. II, 104.
2) Cfs. Ritsch. Proll. p. 128.

v. 247: Quocum multa volup ac gaudiă clamque palamque.
v. 292: Ast occasus ubi tempusve audere rĕpressit
v. 418: Occidit oceanumque rŭbra tractim
v. 460: Omnes corde pătrem perhibent
v. 487: Deque totondit ăgros laetos
v. 532: .... qui fulminĕ claro
v. 589: .... teloquĕ trabali.

Brevis autem vocalis ante mutam cum liquida productae exempla haec sunt:

Ann. v. 278: Poeni suos soliti dis săcrificare puellos.
v. 325: Āgri
v. 465: It nīgrum campis agmen
v. 504: Vincla suis magnis animis ābrupit et inde.

En habes quae de positione dicenda mihi videbantur. Iam transeamus ad synizesim, cui Ennius magnam curam adhibuit, quam rem si alte longeque repetemus, nobis ignoscas velim, et certe nobis ignosces, si quantopere hac in re a Plauto Terentioque peccatum sit te commonefecero. Ac primum quidem synizesim passa esse constat: dein (Ter. Andr. III, 3, 30), deinde (l. a. III, 2, 3), dehinc (Ter. Eun. II, 3, 3. Andr. Prol. 22. I, 2, 19), proin (Plaut. Bacch. 739. Capt. 63. Mil. 780. Stich. 670. Ter. Andr. II, 4, 5. Eun. I, 1, 11. 2, 26), proinde (Plaut. Trin. 658. Amph. 982. Ter. Phorm. II, 3, 35. Hec. II, 1, 21), deorsum (Ter. Ad. IV, 2, 34. 36), seorsum. Accedunt: praeut, praeoptavisti (Plaut. Trin. 648), praeoptares (Ter. Hec. IV, 1, 17), coimus (Plaut. Most. 327), introibis (Bacch. IV, 8, 66), anteit. Praeterea contracte dicta sunt: coegit (Plaut. Amph. 163), coegi (Bacch. 981), postea (Ter. Eun. III, 2, 40), antehac (Andr. II, 1, 3. Heaut. II, 3, 29), quoniam. Ritsch. Proll. p. 160. Corss. l. a. II, 171. 173. 175. 176. 179. 180.
Nec de dies (Ter. Andr. I, 2, 18), diu (Plaut. Pers. 265. Truc. II, 3, 3. Epid. III, 2, 40. Ter. Eun. II, 3, 3), trium (Trin. 848) monosyllabis est quod dubitemus. Ritsch. l. a. Corss. l. a. II, 178. Qua in re metra quam diligentissime observanda discernendaque esse ex his verbis Ritschelii [1]) liquet: „Metrorum autem diversitati quantum tribuendum sit, luculentissime eorum vocabulorum exemplo apparet, quorum terminatio i vocalem habet alii vocali praemissam. Satis constat de monosyllabis dies, diu (Trin. 65. 578. 685. 843): nunquam autem, id quod asseveranter affirmare licet, synizesim in senariis quidem septenariisque ullius alius nominis ullus casus (praeter genitivum secundae declinationis) admisit, nec mendacium nec mendacia nec mendaciorum, sive haec substantiva sunt sive adiectiva, nec mendacio nec mendaciis nec mendacior certiores mortalium, nec vel sapientia gloria vel acies vel factio oratio cum suis casibus, nec nescius tertius obnoxius nec obnoxiosus vel impendiosus. Contra ab illis metris simulatque transitus factus est ad octonarios anapaesticosque, continuo offensio omnis talis synizesis dilabitur.“ Atque scio verbi „formae bisyllabae omnes monosyllabam pronuntiationem, bisyllabam trisyllabae passae sunt saepissime.“ Conferas: sciam (Pomp. Com. R. p. 208), scias (Ter. Andr. I, 1, 68), sciat, scies, sciet, sciens (Ter. Hec. IV, 2, 4), scio (Caec. Com. R. p. 59), sciunt (Pompon. Com. R. p. 207). Corss. II, 178. Quam synizesim ad nescio verbum perrexisse

1) l. a. p. 160 sq.

nihil habet admirationis. (Cfs. Plaut. Amph. 1063. Mil. 174. Pers. 227. Curc. 648). Corss. II, 168. Itemque ais, ait monosyllaba sunt, bisyllaba aibam, aibat, aibant (Ter. Andr. V, 4, 29. Phorm. III, 1, 16. Andr. III, 3, 2. Phorm. IV, 1, 6). Ritsch. l. a. p. 162. Corss. II, 176. Nullo autem loco aio, aiunt formarum monosyllaba pronuntiatio exstat. Ritsch. l. a. Praeterea huc referenda sunt: duellum, quattuor, puella bisyllaba, porro: prior, prius, puer, tuus, tuum, tui, tuos, tuo, tua, tuam, tuae, tuis, suam, suas, suae, suo, suos, suis, suum, duo, duos, duom, duas monosyllaba. Corss. II, 173. 176. 177. Nec minus u vocalis cum insequente coit „in fui cum reliquis formis quae r litteram non habent omnibus, nisi ubi eam litteram producta e vocalis praecedit ut in fuerunt: nam nec fuerit nec fueras nec fuero in binas syllabas unquam coaluerunt“ [1]). Et cui et huic contracte pronuntiata esse scimus. Quae synizesis exempla si quaeres quid sibi proprium habeant, facile eo pervenies ut in allatis exemplis, si mittis ea quae primo loco congessimus aliaque pauca, nullas alias nisi u et i vocales synizesim ascivisse intellegas aliis vocalibus praepositas. Quare facile quo illam synizesim explices assequeris. Nam ‚u‘ et ‚i‘ illis locis non vocalium sed consonantium vim habent, ita quidem ut scjas, scjens, dvellum, tvo, tvas e. q. s. pronuntiandum sit. Et hoc quidem etiam in alias formas cadit, quae primo obtutu his certis finibus contineri non posse videntur, sed videntur tantum, dico deus, meus nomina et is, idem pronominum formas omnes itemque ire verbi formas: eo, eam, eas, eat, eamus, eatis, eant, eunt. Ritsch. Proll. p. 164. Corss. l. a. II, 175. 178, 179. Sed ire verbi formas: eo, eam e. q. s. aliquo tempore fuisse: io, iam, ias e. q. s. inde colligi potest, quod ambire verbum compositum in omne tempus ‚i‘ vocalem servavit. Ac dius, mius formas aliquando exstitisse sat multa documenta sunt. Quod attinet ad prius nomen, di et dis casus non possunt „a deus duci, sed e dius manarunt, vel e dis nominativo dius formae eadem ratione vicario, qua alius vel Clodius formas aequant alis, Clodis“ [2]). mius autem Velius Longus (p. 2236. P.) ut vetustiorem formam affert; ac mieis (t. Scip. Or. 554) legimus [3]). Et is, idem pronominum formas aliquando ‚i‘ pro ‚e‘ vocali habuisse vetustae inscriptiones ostendunt, in quibus: iei (nom plur.), ieis (dat. abl. plur.) exstant [4]). Accedit ut testis Macrobius, qui (Saturn. I, 4) im (i. e. eum) formam affert [5]). Atque Ennius noster synizesim si minus radicitus evellit, tamen in Annalibus tam artis finibus continuit, ut exempla huc pertinentia omnia afferre non longum sit. Sunt enim: Ann. v. 97. avium; v. 111. meaeque; v. 206. eorundem; v. 244. 511. cui; v. 315. priusque; v. 414. insidiantes; v. 449. deinde; v. 463. semianimesque; v. 554. Huic. Ut synizesim a Plauto in suus, suum, suos, sua, suam, suas, suis admissam effugeret, Ennius monosyllabas formas (sus), sum (Ann. v. 102. 165), sos (v. 22. 152. 261. 358), (sa), sam (v. 228), sas (v. 103), sis (v. 150) adhibuit. sus, sa quamquam non insunt in Ennianae poesis reliquiis, tamen nihil obstat quominus Ennium et his formis ad allatarum similitudinem usum esse arbitremur. Et huc referendum est quattor i. e. quattuor (Ann. v. 96. 580) [6]). Argeos autem

1) l. a. p. 164.
2) Ritsch. De declin. quad. Lat. rec. quaest. epigr. p. 22.
3) Corss. l. a. I, p. 300. Praeterea meus olim fuisse mius iam Ruddimannus (Inst. gramm. Lat. I, p. 200) admonet.
4) Cfs. Corss. I, 312.
5) Cfs. Reisig. Vorl. üb. lat. Sprachw. p. 196.
6) Ritsch. Mus. Rhen VIII, 309 Lachm. ad Lucr. III, 917.

exemplum Ennianum (Ann. v. 124), quod supra sciens omisi, secuti posterioris aetatis poetae synizesim passi sunt etiam in nominibus „eus“ litteris terminatis, velut: laqueo (Hor. Epod. II, 35), alveo (Ovid. Met. XV, 624. Verg. Georg II, 453. Aen. VI, 412, VII, 303. Tib. II, 1, 49), aurea (Ovid. Met. XII, 395. Verg. Aen. VII, 190), igneus (Ovid. Met. VI, 113), aureis (Verg. Aen. V, 352. VIII, 553). Corss. l. a. II, 170. Accedunt casus obliqui nominum propriorum a Graecis receptorum eorumque in εύς exeuntium, ut: Orphea (Verg. Ecl. 6, 30), Orpheo (Ovid. Am. III, 9, 21), Peleo (Cat. 64, 336), Oilei (Verg. Aen. I, 41), Persei (Prop. III, 28, 4) e. q. s. Corss. l. a. Sed satis superque de his. Si denique hiatum inde ab Ennio, cuius in Annalium reliquiis nullum hiatus admissi exemplum exstare pro certo affirmare possum, si minus prorsus evitatum, tamen multo rarius quam antea usurpatum esse dixero: omnia habebis, quae ab Ennio, versus hexametri Latini auctore, ad syllabas stabiliendas, ad vim et consonantium et vocalium redintegrandam certissimisque finibus circumscribendam profecta sunt. Qua in re exponenda si Plauti veterisque Latinorum poesis semper rationem habui: hoc non ut ambagium amans feci, sed eam ob caussam, quod, quatenus Ennius versu hexametro in litteras Latinas inducto hac quidem in re meritus esset, nisi antea qualis conditio Latinorum poesis ante versum hexametrum receptum valentis fuisset expositum esset, perspici non posse mihi erat persuasissimum. Ennianam autem rationem et metricam et prosodiacam non ilico valuisse nec eam in hexametris quidem versibus faciendis: septendecim sortes Praenestinae, quas nomine parum ad rem accomodato dicunt, dactylicis hexametris scriptae ostendunt, quippe quae in similitudinem veteris scaenicae poesis fictae sint. De quibus cum Ritschelius (Mus. Rhen. XIV, p. 389 sqq.) perdiligenter disputaverit, singula exempla, in quibus horum hexametrorum cum scaenica licentia prosodiaca coniunctorum et Ennianorum discrimen cernitur, ne uno quidem explanationis verbo addito infra ponere dubito an satis sit. Et sunt quidem exempla in hanc partem valentia haece:

N. 14: Póstquam cécidérúnt (–́ – | ⏑́ ⏑ – | –́).
N. 10: métuit íd sequi (⏑́ ⏑ – | –́ ⏑ ⏑) [1]).
N. 1: Iúbeo et ís (⏑́ ⏑ – | –́) [2]).

Exempla supra allata ab Enniana ratione metrica aliena sunt; ab Ennii severa prosodia aberrant:

N. 3: cónrigĭ víx
N. 9: tú vehĭ nón
N. 10: íd sequĭ sátiust
N. 17: véstigás sequĭ nón
Praeterea: N. 2: cónsulis stúlte
N. 8: quóm datŭr, spérnere
N. 11: ré forĕ stúltum

1) metuit quidem perfecti formam esse ne putemus „formidat“ praecedens non prorsus obstat. Cfs. Ritsch. l. a. p. 409.

2) Quem ad versum conferas Ritsch. Tit. Mumm. p. 14. Mus. Rhen. XIV, p. 409. 413. 414. Caeterum supra consulto Ritschelium secutus omisi:

N. 4: consilium
N. 10: satiust
N. 12. 16: caveas,

quae exempla huc referri possunt, non autem debent.

N. 5. 16: falsā et certā (neutr. plur.) vim caesurae satis praebere quo explicentur Ritschelius (p. 407) suo iure contendit, qui ab eadem vi unius hiatus septendecim versuum (N. 13. prosúm: ubei) excusationem repetit [1]).

Restat (id quod prae caeteris agere mihi in animo erat) ut explicem, quantopere lingua Latina versu hexametro recepto variis verbis, sententiis, figuris eisque saepenumero colore vere poetico praeditis, numerorum iucunditate, orationis celeritate ditata ornataque sit. Quam materiam in praesens tempus leviter tantum attingere liceat. Et primum quidem quae proferantur haec Berhardyi verba digna sunt [2]): „Seinen Nachfolgern aber hinterließ er (Ennius) nicht bloß einen bereicherten Sprachschatz (Hor. A. P. 56. cum lingua Catonis et Enni Sermonem patrium ditaverit, et nova rerum Nomina protulerit), sondern auch eine zur Wohlredenheit geebnete Bahn. Zwar das Recken der Wörter für den Bedarf des Hexameters (wie silvai frondosai, Metioeo Fufetioeo, oder der gewaltsame Prozeß in cere comminuit brum), die Härten seines Archaismus (wie multa volup) und die kecken Versuche in momentaner, oft glücklicher Wortbildung wollen wir nicht hoch anschlagen; aber einen bleibenden Gewinn brachte der geniale Schwung, mit dem er die widerstrebende Sprache vorwärts trieb; denn er hat sie zuerst durch Wendungen und lebendige Figuren (wie das sinnige bei Varro L. L. VII, 42. olli respondet suavis sonus Egeriai) veredelt, noch mehr aber an Phraseologie gewöhnt und der fließenden Erzählung eine Bahn eröffnet. So Annal. XIV. (377.)

Verrunt extemplo placidum mare marmore flavo;
Caeruleum spumat sale conferta rate pulsum.
Labitur uncta carina, volat super impetus undas.

Und in der vortrefflichen Stelle des Scipio:

Et Neptunus saevus undis asperis pausum dedit;
Sol equis iter repressit ungulis volantibus;
Constitere amnes perennes, arbores vento vacant.

Um dieses allen willen muß man ihm wie anderen prisci die lästige Weitschweifigkeit und Breite zu gute halten: wie bei Cic. Divin. I, 58.

Atque alia huc pertinentia sunt:

Ann. v. 50: Quamquam multa manus ad caeli caerula templa
Tendebam lacrumans et blanda voce vocabam.
Vix aegro cum corde meo me somnus reliquit.

v. 92: Interea sol albus recessit in infera noctis.
Exin candida se radiis dedit icta foras lux.

v. 153: Hac noctu filo pendebit Etruria tota.

v. 193: Incedunt arbusta per alta, securibus caedunt,
Percellunt magnas quercus, exciditur ilex,
Fraxinus frangitur atque abies consternitur alta,

---

1) Me in expositione progressuum formalium quos dicunt a Romanis versu hexametro recepto factorum libenter fateor profectum esse ex eis quae Ritschelius in scholis et in grammaticam Latinam et in Plautum habitis, quibus abhinc paucos annos interfui, de hac re docuit.

2) Grundriß der Römischen Litteratur (4. Bearb.) I, p. 214.

Pinus proceras pervortunt: omne sonabat
Arbustum fremitu silvai frondosai[1]).

v. 231: Explorant Numidae: totam quatit ungula terram. [2])

v. 270: ..... postquam Discordia taetra
Belli ferratos postes portasque refregit[3])

v. 313: Unus homo nobis cunctando restituit rem[4]).

v. 423: Concurrunt vel uti venti cum spiritus austri
Imbricitor aquiloque suo cum flamine contra
Indu mari magno fluctus extollere certant.

v. 503: Et tum sic ut equus qui de praesepibus fartus
Vincla suis magnis animis abrupit et inde
Fert sese campi per caerula laetaque prata
Celso pectore, saepe iubam quassat simul altam,
Spiritus ex anima calida spumas agit albas[5]).

---

1) Cfs. hunc similem locum Vergilianum (Aen. VI, 179 sqq.):

Itur in antiquam silvam, stabula alta ferarum,
Procumbunt piceae, sonat icta securibus ilex
Fraxineaeque trabes cuneis et fissile robur
Scinditur, advolvunt ingentis montibus ornos.

2) In huius versus similitudinem Vergilius (Aen. VIII, 596) ita canit:

Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum.

3) Cfs. Verg. Aen. VII, 621:

et cardine verso
Belli ferratos rumpit Saturnia postis.

Hor. Sat. I, 4, 60 sqq.:

Non, ut si solvas „Postquam Discordia taetra
Belli ferratos postes portasque refregit,“
Invenias etiam disiecti membra poetae.

Quem ad locum Porphyrio dicit: „est sensus: si dissolvas versus vel meos vel Lucilii, non invenies eadem membra quae sunt in Ennianis versibus qui magno scilicet spiritu et verbis altioribus compositi sunt, velut hi sunt: postquam e. q. s.

4) Hunc versum Vergilius (Aen. VI, 846) tali modo reddidit:

„Unus qui nobis cunctando restituis rem.“

Cfs. Cic. Cat. mai. 4, 10: „hic“ (Q. Fabius) „et bella gerebat ut adulescens cum plane grandis esset et Annibalem iuveniliter exultantem patientia sua molliebat: de quo praeclare familiaris noster Ennius: unus“ e. q. s. V. Vahl. ad h. l.

5) Cfs. hanc Homericam equi fugientis descriptionem (Il. Z, 506):

ὡς δ' ὅτε τις στατὸς ἵππος, ἀκοστήσας ἐπὶ φάντῃ,
δεσμὸν ἀπορρήξας θείῃ πεδίοιο κροαίνων,
εἰωθὼς λούεσθαι ἐυρρεῖος ποταμοῖο,
κυδιόων· ὑψοῦ δὲ κάρη ἔχει, ἀμφὶ δὲ χαῖται
ὤμοις ἀΐσσονται· ὁ δ' ἀγλαΐηφι πεποιθώς,
ῥίμφα ἑ γοῦνα φέρει μετά τ' ἤθεα καὶ νομὸν ἵππων.

similemque Vergilianam (Aen. XI, 492):

Qualis ubi abruptis fugit praesepia vinclis
Tandem liber equus campoque potitus aperto

Quod vero Koenius[1]) permultas formas et nominum et verborum non cadere in mensuram dactylicam queritur ac poetas epicos, quod versu hexametro adhibito linguam Latinam depravaverint decurtaverintque assidue calumniatur: equidem prorsus non assequor, cur tam vehementer querendum calumniandumve sit. Nam id ipsum, quod permultae formae non quadrabant in mensuram dactylicam, orationi non raro pulchritudinis elegantiaeque incrementum attulit. Nec vero poetas epicos interdum aequo longius progressos esse inque novis verbis faciendis atque verborum immutatione loquendique circuitu nimios fuisse nego. His autem universe dictis viam, qua ad singula persequenda transiremus, satis munivisse mihi videor. Atque accedo Koenio vituperanti Lucretium, qui, quasi differus, pestilis adiectiva exstarent, cum differentia, pestilentia nomina non caderent in mensuram dactylicam, differitas (IV, 640), pestilitas (VI, 1096) finxerit (Koen. l. a. p. 10). Nec minus habet offensionis variantia (Lucr. I, 643; III, 319) pro varietas, satias (V, 1389) pro satietas (Koen. p. 217). Sin Ovidius, quamquam metro forsitan coactus, natus tolerare labores (Met. XV, 121) pro natus ad tolerandos labores scribit, haec dicendi forma adeo non habet quidquam offensionis, ut eleganter poeticeque orationis norma non tam laesa quam promota dictum esse mihi videatur (Cfs. Koen. p. 16). Atque hunc infinitivorum finem significantium usum apud poetas frequentem esse nemo nescit. Ut Hercules, cuius nominis praeter Herculis, Hercule formas elisione non adhibita nullus casus metro dactylico accomodari potest, significarent, poetae epici nonnunquam ut plurium verborum circuitu uterentur coacti sunt, qui circuitus plerumque nec gravitatem simplicis Hercules vocis habet et verborum obscuritatem efficit. Quo referendum est Horatianum illud Diram qui contudit Hydram (Epist. II, 1, 10). Nec quidquam proficitur circuitu, quo Ovidius Heros claviger, Tirynthius hospes (Fast. I, 544. 547) scribens utitur. Itemque displicet, si Horatius, ut Socratem formam elisione non adhibita metri dactylici finibus resistentem effugeret, Anyti reum (Sat. III, 4, 3) dicit (Koen. p. 80). Quod contra Lares, qui compita servant (Ov. Fast. II, 615) verba pro Lares compitales eleganter dicta sunt (Cfs. Koen. p. 203). Est autem quod queramur vocabulorum ante finem in trochaeum desinentium, ut circulus, terminus, bellicus (Koen. p. 30), advena, incola, insula, femina, victima, ancora, regula, tessera, similium (Koen. p. 45) praeter nominativum et vocativum nullum alium casum elisione non adhibita usurpari potuisse. Accedunt debitor, vinitor, ianitor, funditor, similia (Koen. p. 109). Quae cum ita sint, poetae epici, quidquid eis erat remedii quo ex his turbis difficultatibusque sese evolvere possent, inexpertum non omiserunt; qua in re ita versati sunt, ut modo qui reprehendantur modo qui laudentur digni sint. Et primum quidem frequentissimus pluralis numeri usus vituperandus est, velut otia (Verg. Ecl. I, 6. Aen. VI, 813), silentia (Ovid. Met. II, 700), somnia (ibid. IX, 474). Koen. p. 58. Aliter autem iudico de versu Ovidiano (Trist. I, 10, 26):

„Et te ruricola, Lampsace, tuta deo"

Aut ille in pastus armentaque tendit equarum
Aut adsuetus aquae perfundi flumine noto
Emicat arrectisque fremit cervicibus alte
Luxurians luduntque iubae per colla, per armos. V. Vahl. a. h. l.

1) „Ueber die Sprache der Römischen Epiker," Münster 1840.

quo versu poeta Lampsacum urbem, quod Lampsacus vel Lampsacum formam vix habebat ubi poneret, humana specie indutam alloquitur. Qua conformatione versus cum singulari suavitate venustateque perfacile currit. Idemque quadrat in Hor. Sat. I, 5, 24:

„Ora manusque tua lavimur, Feronia, lympha," (Koen. p. 47).

Saepe autem factum est, ut in locum vocabulorum contra mensuram dactylicam repugnantium voces, sub quibus similis sententia subiecta erat, substituerentur. Unde habemus quo natus, cretus, creatus, satus, genitus, similia vocabula idem quod filius significantia intellegamus. Koen. p. 37. Pro „posteri" nomine, cuius nullus casus ad mensuram dactylicam accomodari potest, poetae vel posteritas nomine (Ovid. Fast. I, 239) utebantur, vel minores (Virg. Aen. I, 532, 732. VI, 822) voce eaque maiores voci pulcherrime opposita. Et umbrae-Silentum (Ovid. Met. XV, 797) eleganter exprimit umbrae mortuorum. Koen. l. a. Cfs. Verg. Aen. VI, 432: ille silentum-conciliumque vocat e. q. s. Nec caret suavitate quadam Ovidianum illud femineae sortis (Met. VI, 679) pro filias vel feminas vel virgines, quippe quae tres formae in metrum dactylicum non cadant (Koen. p. 51). Quod Vergilius scribit:

„Quamvis multa meis exiret victima saeptis" (Ecl. I, 34),
„Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum (Aen. VIII, 596),

comprehensio quae victima, ungula vocibus inest, non habet quod vituperemus sed quod laudemus (quod contra cfs. Koen. p. 48). Nec quae afferantur indigna sunt talia: praemia palmae (Verg. Georg. III, 49), gloria palmae (ibid. II, 102) pro praemia victoriae, gloria victoriae elegantissime dicta. Nuptiae nominis significationem poetica taeda vox habet. Cfs. Ovid. Met. IX, 721:

„Coniugii pactaeque exspectant tempora taedae."

Atque Vergilius (Aen. XI, 133 sq.):

„Bis senos pepigere dies et pace sequestra
Per silvas Teucri mixtique inpune Latini
Erravere iugis."

scribens nihil aliud significat nisi: inducias pepigerunt duodecim dierum et per inducias erravere. Sed et inducias et duodecim abhorrent a metro dactylico (Koen. p. 53). Necessitas igitur poetam eo adduxit ut belle venusteque diceret. Nescio an indidem originem duxerint talia: caerula coeli (Ovid. Fast. II, 487), ultima campi (ibid. II, 215), vitalia rerum (Lucret. II, 577), ardua terrarum (Verg. Aen. V, 659) similia (Koen. p. 62; Gossr. ad Verg. Aen. I, 422), quam locutionem Romanis placuisse inde conici potest quod a Sallustio, Livio, Tacito recepta est. Koen. p. 62. Quod Vergilius (Ecl. VII, 47) „Solstitium pecori defendite" pro „Solstitium a pecore defendite" dicit, huius elegantis locutionis caussa inde petenda est quod pecore nisi elisione adhibita non cadit in mensuram dactylicam. Eodem redit „haeret lateri letalis arundo" (Verg. Aen. IV, 73), quo dicendi genere poeta vel „haeret latere letalis arundo," vel „haeret in latere letalis arundo," quippe quod utrumque a mensura dactylica alienum sit, evitare voluit. Cfs. Ecl. VI, 16: „serta capiti delapsa." Koen. p. 112. 132. Ovidius (Met. IV, 389—415) Minyae filias in vespertiliones transfiguratas esse narrans vespertiliones vocis utpote in metrum dactylicum non quadrantis vim sic reddidit:

„Nocte volant, seroque trahunt a vespere nomen,"

qua ratione aenigma prolatum pulcherrime in aenigma exit. Koen. p. 123. **Ianuarius**, **Februarius** nomina metro dactylico repugnantia Ovidius per talem ambitum poeticum significat:

„Nec tu dux mensum, Iane biformis eras“ (Fast. V, 424),

„Qui sequitur Ianum, veteris fuit ultimus anni (Fast. II, 40). Cfs. Koen. p. 210. 211.

Sed haec exempla, quorum numerum S. D. O. M. V. postero tempore augebo, nunc quidem sufficiant, quibus probra, quae Koenius in Ennium inque eos qui Ennii vestigia ingressi sunt iactare non dubitavit, magna ex parte iniusta esse nobis persuadeamus.

Scr. **Confluentibus** m. Iulio a. MDCCCLXVI.



Corrigenda: p. 5. adn. 7. l. „Euhemerum“ pro „Enhemerum“; p. 6. v. 17. (a summo) l. „Fridericus“ pro „Fredericus“; p. 11. v. 19. (a s.) l. „hanc“ pro „hauc“; p. 12. v. 20. (a s.) verba: „capi; ibid. 360: nec cum capta capi nec cum combusta cremari“ tollenda sunt; p. 22. v. 7. l. „Bernhardyi“ pro „Berhardyi“; p. 22. adn. 1. l. „ab eis“ pro „ex eis“.

Schulnachrichten.

I. Lehrverfassung.

(Bemerkung: In Betreff einiger Aenderungen s. unten III. Anm.)

Ober - Prima.

Ordinarius: Hr. Oberlehrer Professor **Floeck**.

1) Religionslehre: 2 St. a) katholische: Apologetik; Wiederholung der Sittenlehre und Kirchengeschichte (nach Martin). Hr. Rel. L. Schubach. b) evangelische: Glaubenslehre (nach Hollenberg), verbunden mit der Lectüre des Römerbriefs. Wiederholung des aus der Bibel und dem Gesangbuche Memorirten. Hr. Rector Troost.
2) Deutsch: 3 St. Eingehende Betrachtung der hervorragendsten alt- und mittelhochdeutschen Litteraturwerke. Lectüre grösserer Partien des Nibelungenliedes und im Anschlusse daran das Wichtigste aus der mittelhochdeutschen Formenlehre. Wiederholungen aus der letzten Blüthenperiode. Logische und psychologische Erörterungen. Aufsätze; mündliche Vorträge; Leitung der Privatlectüre. Hr. Oberl. Stumpf.
3) Lateinisch: 8 St. a) Horat. carm. II, III, IV (Auswahl). Memorir- und Sprechübungen. 2 St. Der Director. b) Tacitus ab E. D. A. II; Cic. de orat. I; Liv. XXII; (privatim Cic. Tusc. I.) c) Pensa, Extemporalien, Aufsätze. 6 St. Der Ordinarius.
4) Griechisch: 6 St. a) Homer. Il. XVI—XXII (XVI und XVII privatim); Soph. Electra. 2 St. b) Demosth. oratt. olynth. III; Thucyd. II. c) Wiederholungen aus der Syntax (nach Buttmann) und schriftliche Uebungen. 4 St. Der Ordinarius.
5) Französisch: 2 St. Lectüre nach der Chrestomathie für Prima von Baumgarten; grammatische Wiederholungen, schriftliche Arbeiten. Hr. Dr. Baumgarten.
6) Hebräisch: 2 St. Die unregelmässigen Verba und die Syntax (nach Gesenius). Poetische und prosaische Abschnitte aus dem Lesebuche von Brückner übersetzt und erklärt. Hr. Rel. L. Schubach.
7) Geschichte und Geographie der neueren Zeit und besonders des brandenburgisch-preussischen Staats (nach Pütz). Wiederholungen aus der alten Geschichte. 3 St. Der Ordinarius.
8) Mathematik: 4 St. a) Stereometrie mit Anwendung der Trigonometrie; Planimetrie und zwar die harmonischen, polarischen und Potenz - Beziehungen der Kreise (nach Boyman). b) Die diophantischen und kubischen Gleichungen, Kettenbrüche, Syntaktik und deren Anwendung auf Wahrscheinlichkeitsrechnung und das Binomialtheorem (nach Boyman und Heis). — Wiederholungen aus dem Gesammtgebiete der Mathematik. Hr. Oberl. Dr. Boyman.
9) Physik: 2 St. Wellenbewegungen, die Lehre vom Schalle, vom Lichte und von der Wärme. Versuche zur Erläuterung (nach Boyman). Derselbe.

Themata zu den deutschen und lateinischen Aufsätzen.

I. 1) Senat, Volk, Heer und Provinzen Rom's beim Tode des Augustus (nach Tacitus). 2) Was gelten soll, muss wirken und muss dienen. 3) a. Erquickung hast du nicht gewonnen, Wenn sie dir nicht aus eigner Seele quillt. b. Sage mir, mit wem du umgehst, und ich sage dir, wer du bist. 4) Welche Lehren liegen in den Worten, mit denen in Goethe's Hermann und Dorothea der Pfarrer den Hermann characterisirt: „Was er begehrte, das war ihm gemäss; so hielt er es fest auch." (Classenarbeit.) 5) Nur der gelassene Mensch ist Herr des Lebens, Und